

**Dissertatio medica inauguralis, exhibens veram sitis naturalis historiam ... /  
ex auctoritate ... Guilielmi Jacobi 's Gravesande ... publico ac solemni  
eruditorum examini subjicit Guilielmus Cramerus.**

### **Contributors**

Cramer, Wilhelm.  
Gravesande, Willem Jacob 's, 1688-1742.  
Rijksuniversiteit te Leiden.

### **Publication/Creation**

Lugduni Batavorum : Apud Conradum Wishoff, 1723.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/asvk6jnc>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
Exhibens  
**VERAM SITIS NATURALIS  
HISTORIAM.**

*QUAM,*  
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

*Ex Autoritate Magnifici Rectoris,*  
**D. GUILIELMI JACOBI 's GRAVESANDE,**  
A.L.M.PHIL. ET J.U.DOCT. R.S.L.SOCII, ASTRO-  
NOMIÆ ET MATHESEOS PROFESSORIS  
ORDINARII;

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,*  
*& Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,*  
**PRO GRADU DOCTORATUS,**

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis,

*Publico ac solemnī Eruditorum Examini subjicit*

**GUILIELMUS CRAMERUS, Schiffenburgo-Borusius.**

*Ad diem I. Octobris 1723. tempore locoque solitis.*



**LUGDUNI BATAVORVM,**  
Apud CONRADUM WISHOFF. 1723.

VERA M SITIS NATURALIS  
HISTORIA M  
EXPIGUA  
INAGURATIIS  
DISSESTITIO MEDICA

G. A. W.

ANNUNCIATE DEO TERRA OTT. MAX.  
Ex. Regia Universitate Medicae Vindobonae  
D. GUILIELMI JACOBI & GRAESVANDE  
AL. M. PHIL. ETJ. U. DOCT. R. S. L. SOCII ASTRO  
NOMINE ET MATHERIS PROFESSORIS  
ORDINARII  
NEC NON  
Regia Universitate Senatus Academicus Consilium  
Ex. Regia Universitate Facultatis Medicorum Vindobonae  
PRO. GRADU DOCTORATUS  
Summa cum laude in Medicina Honoribus & Privilegiis  
titus ac televisus in Medicinae Cuiusdam  
Burgensis ac Vindobonae Universitatis Praemio Merito  
GUILIELMUS CRAMERUS, Scipio Eugenius Bontius

Ag CONRADUM MISHOEE  
Ag DEPENDENS BATAVIAE

*ILLUSTRISSIMIS & EXCELLENTISSIMIS  
DOMINIS,*

*DOMINO*

# **LUDOVICO AB OSTAU.**

AUGUSTO BORUSSIAE REGI A CONSILIIS STATUS INTIMIS,  
SUPREMO REGNI CANCELLARIO, SUMMI APPELLA-  
TIONUM JUDICII,  
COLLEGIIQUE COMMERCIORUM PRÆSIDI, ET RERUM  
FEUDALIUM DIRECTORI  
DOMINO TERRARUM LABLACK, KIESITTE, RELIQUA;

*UT ET*

*DOMINO*

# **ALBERTO ERNESTO COMITI DE SCHLIEBEN.**

S.R.M. IN BORUSSIA JUDICII AULICI PRÆSIDI,  
DISTRICTUS GERDAVIENSIS ET NORDENBURGENSIS  
PRÆFECTO HEREDITARIO,  
DOMINO TERRARUM KLINGBECK, MORREN, RELIQUA;

MÆCENATIBUS SUIS GRATIOSISSIMIS,

*Dissertationem hanc Inauguralem,  
devotissima animi submissione,  
consecrare voluit*

**GUilielmus Cramerus.**

LEUDECKENSIS & EXCELENTISSIMUS

DOMINI

DOMINO

# LUDOVICO ASTAU

ARGENTO DORASSE REI A CONSILIO STATIS INTULIT

SOLLEMO REGNI CINCILLVNO SUMMI AVLTIV

TIOMON JUDICII

COLLEGIONE COMMERCIOrum PREMIA ET REVM

LENDALVM DIRECTORI

DOMINO TERRARVM LVRICK, MURSEN, RETIGA

UT

DOMINO

# ALBERTO ERNSTO

COMITI DE SCHLIEBEN.

S.R.M. IN BORREIA IUDICI AVLICI PRÆSIDI

DISTRICTS GERDVAIENSIS ET NORDBURGENSIS

PRÆFECTO HEREDITARIO.

DOMINO TERRARVM KLINGERCK, MORREN, RETIGA

MECENATIAS SVIS CRVTOSSIMIS.

Dilectissimam pacis regnum

et aeris amissi impunito

collegiales coemiti

Cultissime Cœptissime

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
Exhibens  
VERAM SITIS NATURALIS  
HISTORIAM.



ita & Sanitas, quæ vita perfecta, cum in continua actione & reactione partium C. H. consistant, statum perfectionis semel acquisitum, ex sua conditione, diu conservare & continuare nequeunt; mixtum enim illud corporeum, utpote mutabile, destructibile & corruptibile, ob actum illum perpetuum a se mutuo separatur, attenuatur, propellitur, eliminatur. Et nisi nova resarciens deperditi materies accederet, brevi totum compositum ad actiones C. H. proprias peragendas inhabile redderetur, imo totus vitæ cursus plane cessaret. Ne vero bina hæcce lustro terminentur, & vitæ finis cum ejus initio simul adsit, requiritur, ut C. H. ea concilietur conditio, qua tantum & tale corpori de novo semper suppeditetur, quantum & quale actu vitæ & sanitatis consumitur, sicque perpetua & continuata fiat nutritio. Quam aliter obtinere non possumus, nisi per novam alimentorum assumptionem. Hæc ut justo ordine & legitimo tempore perficiatur, nec necesse sit omne vitæ tempus soli alimentorum ingurgitationi impendere, verum & aliis actionibus exercendis vacare queamus, cum non vivamus ut edamus, sed edamus ut vivamus, provida Natura peculiares quasdam sensationum species nobis

## 2. DISSERTATIO MEDICA

indidit, quibus ad restaurandum & reficiendum id, quod effectu circulationis sanguinis & humorum absuntum est, impellimur & admonemur, omnibus enim vis ea, quæ desunt, appetendi inest.

Discrepant tamen & differunt bini hi perceptionum modi, ut unus appetitum Ciborum, alter Potuum indicet. Prior vocatur Fames, posterior Sitis. De ultima appetitus specie verba quædam facere, in animum induxi, cum de prima differendi occasionem jam nactas sim, dum Vir in arte medica *Celeberrimus*, CHRISTIANUS LUDOVICUS CHARISIUS, Fautor ac Præceptor meus olim ut fidelissimus, ita a me semper venerandus, Pro Loco Professionis Ordinario Medicæ, Regia in Academia Borussorum, Albertina dicta, Dissertationem solemnem de *Bulimo* conscriptam, publice e Cathedra, me respondente, ventilavit ac defendit.

Vocatur Sitis ille status C. H. qui cum desiderio liquidum quoddam humectans, plus minusve ingerendi conjunctus est. Et semper defectum quandam humoris roridi, humectantis, reficientis, vel in toto corpore, vel in partibus, quibus Sitis primario indicatur, præsupponit. Quamdiu enim liquida sufficienti in copia C. H. replent, & vi circulationis æquabiliter dispensantur, ut quælibet pars corporis humido suo necessario luxuriet, omnis Sitis perceptio deficit. Partes, quæ Sitis sedem primariam constituunt ac efformant, censentur esse & sunt: Os, Lingua, Fauces, Oesophagus & Ventriculus. Reliquæ enim ad potus desiderium inferendum nonnisi secundario concurrunt. Humidum vero, quod loca hæc allabitur, ea irrigat, lubricat & perpetuo suo affluxu madefacit, ob differentem suum ortum ac originem, diversa accepit nomina. Quod enim glandulæ conglomeratae ductu communi excretorio adferunt, vocatur humor salivalis; illud, quod glandulæ congregatae ductibus brevibus eructant, humor mucus appellatur; hoc demum, quod vasa in oris extremis abfcissa & aperta exstillant, liquidu tenuioris nomine venire solet.

Sa-

Salivæ fontes plurimi sunt, diversis locis positi, numero & nomine sequentes: 1. Glandulæ dictæ parotides sive Stenonianæ, 2. submaxillares sive Warthonianæ, 3. sublinguales sive Rivinianæ vel Bartholinianæ, quibus accenserit potest 4. novus ille ductus excretorius lingualis, inventus, detectus & in peculiari tractatu descriptus a Cl. Professore Vittenbergico, *Abrahamo Vatero*. Hi liquidum quoddam tenuc, pellucidum, aquosum, facile spumescens, arteriosa fabrica elaboratum advehunt, & in oris cavum deponunt.

Officina liquidi tenuioris exhalantis sunt vasa illa minima arteriosa, humorem saliva tenuiorem & subtiliorem, non solum ad totum illum tractum, ab oris extremitate usque ad ventriculum extensem, sed omne fere cavum partium C. H. osculis patulis & hiantibus adportantia. Qui existentiæ hujus liquidi demonstrationem exigit, ille apicem linguæ, vel buccæ interioris superficie partem linteo quodam sicco, rorido illo humore obtegente privet, eumque abstergat, & non sine admiratione ante speculum stans observabit, brevi temporis spatio, ex punctis inumerabilibus liquidum quoddam de novo propullulare, exfilire, superficiemque obducere. Quique curiosus apparatus vasorum partes has occupantem spectare, adeat Musea Celeberrimorum Anatomicorum, curiosis, ritidissima manu, ope nobilissimæ artis injectoriae hodie detectæ, confectis præparationibus partium C. H. repleta ac exstructa, & summa animi delectatione contemplabitur mirabilem illam fabricam, qua partes nostri corporis constructæ sunt, dum illæ, quæ roridæ humectationis opus habent, tanta copia vasorum advehentium excellunt, ut non probabile, ingentem illum numerum, soli advectioni materiae nutrientis inservire, sed ad alium adhuc usum, in C. H. praestandum, destinatum esse. Imo, quod hujus rei veritatem majori pondere confirmat, & omne dubitationis punctum tollit, illud est: quod materia ceracea in arterias, non magna adhibita vi, continuato ac repetito opere adacta, extra villos partum, punctulis minimis, exiguis, numero infinitis, ubique prominere ac extare observetur, hocque labore

bore totum cavum, ad quod vascula illa minima terminantur, præprimis in intestinis, materia ceracea extravasante repleri posse, capta hac de re experimenta probant. Quamplura ejusmodi præparata & quidem elegantissima, ab *Anatomico* Celeberrima hac in Academia *Clarissimo* ac *Exercitatiissimo*, BERNHARDO SIEGFRIEDO ALBINO, Praeceptore meo ad urnam usque colendo, in Collegiis privatis ac publicis, Auditoribus suis frequentissimis exhibita ac demonstrata, videre ac perlustrare mihi licuit.

Muci laboratorium a linguae radice incipit, & descendendo ulterius pergit, in cavo enim oris, & circa apicem linguae, mucosi hujus humoris secretionem factam esse, observatum non est; spissior paulo, tenacior & crassior, humoribus prioribus constitutus esse videtur, hujusmodi etenim naturæ humor vias perfectius lubricare, & diutius politas conservare potest, quam liquidum aquosioris constitutionis; non tamen primo momento suæ secretionis hanc spissitudinem obtinuit, verum in folliculis collectus & stagnans, eam sibi comparavit ac adquisivit, qui tandem per emissarium peculiare foras ejicitur & eliminatur. Glandulis hisce ac folliculis tota radix Linguae copiose referta est. Palatum anterius immobile pro parte, & totum posterius mobile, velum palatinum dictum, notante *Cl. Schneidero*, in operosissimo opere de Catarrho, foraminulis exiguis, copiosis, innumeris perforata ac pertusa reperiuntur. Uvula, cum nihil aliud sit, quam corpus pyramidale, ex duplicatura membranæ palatinæ mobilis & musculo azygo constans, ob similem quam habet cum præcedentibus structuram, similem quoque humorem ut præparet, nihil est quod huic obstare videtur. Tonsillæ convoluta membrana veli palatini penduli videntur esse, in medio sui corporis sinus majores habentes, qui ex sinibus minoribus, & osculis minimis humorem quendam glutinosum recipiunt, colligunt & ad faucium cava demandant. Laryngis partem supremam qui considerat, undique folliculis plurimis eam oblessam esse inveniet, & facile hujus prolixiori recensioni ac pertractioni supersedere potero,

## INAUGURALIS.

5

si labore meo Adversar. Anat. Cl. MORGAGNI lectionem substituam. Ordo postulat, ut ad inspectionem Pharyngis & Oesophagi me accingam, in eo bina hæc conveniunt, quod receptaculis mucosis ubertim obsitæ sint, quæ pro lubricando ac obliniendo, glutinosam quandam materiem evomunt & adjiciunt, in eo discrepant, quod prior sit tubus dimidiatus, posterior integer, qui succum lubricum, fabrica glandularum oesophagearum Vesalii confectum, excipit. Ventriculus tandem, tanta abundat numerositate glandularum, ut commode pro unica quasi glandula haberi possit; nec rei hujus gnarus, ingentis copiæ humorum, qua ventriculus perpetuo scatere ac perfundi cernitur, magis admirator existet.

Hæc fuere, quæ de diversis istis depromtoriis ac colatoriis liquidorum, totum tractum supra descriptum allabentium fari, doctrinæ ac materiæ pertractandi ratio & necessitas expostulabant; pleniorum tamen, accuratiorem, ac diffusiorem descriptionem & delineationem horum organorum fabricæ, structuræ, situs, connexionis, ac usus tradere & exhibere, nec chartæ angustia permittit, nec instituti conditio requirit. Sufficit scire ac nosse fontes, officinas, ac laboratoria, unde cumulus ille humorum elaborari, depromi ac exsiliare possit, qui debite præsens Sitis sensum tollit, contrario modo se habens desiderium potus inducit. Cujus ortus duplex agnoscere potest fundatum, & a causis mere naturalibus, vitam & sanitatem efficiens ac concomitantibus excitari, & a præternaturalibus C. H. infestantibus produci. Hinc omnis Sitis, quo-cunque demum modo suborta & in conspectum veniens, vel effectus quidam erit sanitatis, vel morbi cujusdam productum. Prioris analysin in præsenti evolvam, & hujus historicam enarrationem exponam.

Qui ea aptitudine gaudet, actiones homini competentes exacte perficiendi, sanus appellatur, quæ dependet a libero & æquali sanguinis ac humorum motu per corporis minima. Et quamdiu hæc ordinata, proportionata, perpetua, non interrupta actuositas præsens est, tamdiu sanitas perfecta, &

B

vita

vita summa C. H. occupant. Ita ut ad explicationem horum nil magis requiratur, quam nosse influxum requisitum fluidorum in solida, & similem repulsum solidorum in fluida, inde enim fluunt & intelliguntur omnes effectus vitæ & sanitatis. Nec opus refugere ad Calidum innatum Veterum, horumque Humidum radicale, prius enim perfriguit, alterum absumentum jam est; vel ad Flammulam vitalem, utpote sufficienter extinctam; nec ad Archæum, nam principatui suo jam valedixit; neque ad Fermentationes, Effervescentias, Ebullitiones, cum & hæc diu jam deferbuerunt; imo ad nullos alios ingenii lusus, veritas enim rerum jam patet. Mutui ergo commercii partium C. H. notitia, totum arcanum hujus doctrinæ revelat ac patefacit. Machina hinc nostra vitalis & sana, quæ nunquam otiosa, sed semper actuosa est, perpetuo vicissitudines & alterationes parit; ita ut duo momenta simul indicari nequeant, in quibus partes nostri corporis eundem occupant locum, sed ob motum illum continuatum, status rerum semper mutatur, mixtiones, conjunctiones ac separationes assiduo fiunt ac instituuntur. Hinc Seneca mutationis hujus statum perpendens, optime Epistola 28 scribit: *Nemo nostrum idem est in senectute, qui fuit juvenis, nemo mane, qui pridie, corpora nostra rapiuntur fluminum more, quidquid vides currit cum tempore, nihil ex his quæ videmus manet, ego ipse dum loquor ista, ipse mutatus sum.*

Accipit sub hac lege & ordine quodlibet vas suum liquidum, & quodlibet punctum nostri corporis humore quodam impletur, lubricatur, & rore madido reficitur. Tot enim dantur diversæ species humorum, quot vasa diversi ordinis in corpore reperiuntur. Humores sic intra vasa coerciti demandantur vario horum cursu, & repetita impressione, pulsu cordis, motus novi affluentis liquidi, ad omnia loca C. H. & ibidem vel partes quædam pro nutritione apponuntur, vel ad primum fontem, cor nempe, iterum revehuntur, vel ad cavam quædam sive receptacula deponuntur, vel extra corpus eliminantur. Hinc puto vitæ & sanitatis fundamentum ex dictis jam patere, quodque in nulla alia re ponendum, quam in perenni

perenni ac jugi succorum, & principaliter sanguinis circulati motione debita & æquali; tamdiu enim viva adhuc pars dicitur, quamdiu sanguinis circulatio per illam adhuc salva ac libera est. Et cum effectus circulationis quoque noti ac expositi sint, clare constabit, conditionem humorum nostri corporis, quoad quan- & qualitatem semel positam, eandem permanere non posse, nisi novum accedat alimentum, quod & aptam materiem pro nutritione, & conveniens, sufficiensque vehiculum pro dilutione & promptiori circulatione omnium humorum præbeat.

Si assunta ciborum moles in primis viis C. H. ad illum fluiditatis gradum redigatur, ut elaborata subtilissima chyli pars, oscula minima vasorum lacteorum, in cavum intestinorum hiantia intrare, ea pervadere, ad massam sanguinem pervenire, ac quævis vascula percurrere possit; & præterea liquidum quoddam refocillans, tenue, subtile, maximeque dilutum, ad vasa bibula, resorbentia, intra os, fauces, oesophagum &c. patentia demandetur; momento citius materies quædam ingestorum cum humoribus nostri corporis permiscetur, ejus momentanea refectio acceleratur, subitaneum ipsi adfertur auxilium, & sufficiens toti corpori suggeritur nutritionis materies. Solida tamen, compacta, minus mobilia ingesta, sua vi ac indeole statum hunc definitum attingere nequeunt, hinc nec effectum memoratum præstare, nisi certa liquidorum quantitas ipsis adjungatur; ut proinde ad debitam hominis vitæ prorogationem, sustentationem, & exactam sanitatis conservationem absolute requiratur, assūmtis cibis justam affundere potus copiam; & totum actum distributionis chyli, accessu vehiculi tenuis, subtilis, aquosí in C. H. facilis, commodius ac citius peragi, & ratio dictitat, & experientia confirmat. Huic nostræ sententiæ *Hippocrates* adstipulari videtur, dum *Sect. H. Aphor. 11.* pronunciat: *Facilius esse potu quam cibo refici.* Et *Libro de Alim. Facult.* dicit: *Qui celeri alimenti appositione egent, humidum ipsis optimum colligendis viribus remedium.* Sed liquida hæc corpori suppe-

B 2 di.

ditata, ob perpetuam sequestrationem, secretionem, ac secessum, ex vasis majoribus ad minora, ex his ad receptacula, vel ambitum externum partium C. H. copia immittuntur, & sensim deficere incipiunt, ut eadem humorum quantitas in corpore semper retineri, ac conservari non possit. Cum enim universa oeconomia vitalis ejusque conservatio, motu progressivo humorum per circulum, & ejus effectu variis motibus mixtionis, secretionis & excretionis sustententur, & impossibile sit, ut nativa sanguinis mixtio & ~~negotio~~ salva & a corruptione immunis persistere possit, nisi variæ particulæ, huic mixturæ incongruæ & infensaæ, continuo diversa sub forma, per innumera colatoria sequestrantur & eliminantur. Hi actus vero, cum & in liquidis, & cum liquidis perficiantur ac absolvantur, facile ex rerum circumstantiis colligi ac concludi poterit, e corpore aliquid quoque secedere, quod sui restitutionem exposcit. Sic v. gr. per ἀδηλον Αγεπτον totum corpus ventilatur, ad litus glandularum subcutanearum continuo atomi roridæ appellunt, sordes despumantur, ad exitum quisquiliæ amandantur, salia educuntur, serum recrementium ejicitur. Sed quis simul non videt, vehiculum copiosum hic requiri, ut heterogenea illa foras exportari, & debitus secessus ab humoribus humanis fieri possint, verum eo ipso, liquidum illud corpori alias utile, simul ayolat & C. H. humido necessario privatur. Ut brevissimam quandam & aliqualem hujus sequestrationis & secretionis negotii adumbrationem exhibeam & annexam, ad sequentia attendere necesse erit: arteriæ sanguiferæ nostri corporis maiores, omni tempore humore vitali repletæ sunt, qui quoad materiem, omnia liquida in sequentibus speciebus vasorum separatim ac speciatim existentia continet, hic, vita præsente & nixu ac renixu perpetuo facto, devolvitur per omnes a trunco ortos & dependentes ramos maiores & minores, usque dum accedat vas quoddam laterale, cuius prima apertura minor, quam ut liquidum primo ordini vasorum proprium capere, illudque intra canalis sui cavum continere possit, verum exclusis his globulis, recipit humorem ex primo va-

fo-

forū genere, in omni puncto suo diametro corresponden-  
tem. Et hic secessus modus partis liquidioris, tenuioris ac  
subtilioris, a solidiori, compactiori ac crassiori, vocatur  
actus secretionis. Idem ordo, eadem lex, omnesque condi-  
tiones recensitæ observantur quoque, dum liquida ad vasa  
tertii & reliquorum generum descendunt, propelluntur,  
eaque intrant. Qui his differentem ac diversam vasorum  
terminationem p. 6. descriptam adjungit, generalē omnium  
secretionum historiam habebit, sequensque sponte fluens co-  
rollarium exinde deducet: arterias majores, circulo humo-  
rum continuato, liquidiori sua parte sensim privari, reliquum  
compactius densiusque fieri, & majorem vim in vasa im-  
pellendi adquirere. Dissipatio sic humidi aqueo-serosi, stan-  
te vita, ex necessaria quadam legum consequentia, omni mo-  
mento in C. H. contingit, nec salva remanente vita remo-  
rari debet, quæ vero appetitus secundæ speciei perceptionem  
in nobis parere, ejusque causa effectrix evadere potest. Sie  
summa necessitas liquidum quoddam humectans in statu natu-  
rali assumendi, & ingens utilitas ex eo in C. H. redundans  
jam innotescunt. Quare, ut apto tempore partium aqueo-  
serosarum secessus, vi vitæ & sanitatis institutus resarciantur,  
nec corpori ob defectum liquidorum detrimentum quoddam  
accedat, talis inducitur corporis mutatio, quæ, ob immi-  
nutum appulsum humorum tenuium ad partes Siti exprimen-  
dæ dicatas, appetitum potum capiendi procreat. Hanc  
ergo appetentiam modo descripto ortam, justis inclusam  
cancellicis, in C. H. permanentem, nec ullam ex suo genio a-  
ctionum lœsionem creantem, Sitim naturalem appellamus.

Præmissa hucusque cognitionem haud levem, ad Sitis na-  
turalis veram genesis intelligendam, jam dabunt, & quilibet  
ex prælibata doctrina, ad ideam quandam de ea sibi for-  
mandam, multa defumere poterit; operæ tamen pretium  
erit, hujus causas singulatim adhuc enucleare, & effectum  
productum paulo penitus inquirere. Omnes mutationes in  
C. H. naturali ac sana constitutione prædicto obvenientes,

a vario ac diverso motu functionum triplici classe comprehensarum fluunt, ad quem redigi, & a quo ut causa dependentes derivari possunt. Sitis, cum singularis sit quædam percipio, (nam percipere nihil aliud est, quam intelligere se affici) deficientium humorum irrigantium, ad loca debita non appulsorum, & desiderium quoddam, novo assumto liquido humectante, eam corrigendi ac debite placandi, specialem hunc in C. H. enatum sensum, classi actionum animalium annumeramus. Quod vero Sitis naturalis originem attinet, ut ea recte & accurate intelligatur, illarum actionum vis ac potentia consideranda sunt, quæ suo exercitio, humores seroso-tenues sic dissipare, disjicere, difflare ac absumere possunt, ut ob secessum humorum e C. H. vasa advehentia, excretoria & exhalantia organorum p. 2. recensitorum, eum exsiccationis gradum, quem appetitus bibendi sequitur, experiantur. Quo justo ordine procedamus, huncce nostrum laborem ordiemur a contemplatione actuum vitalium, quorum perfunctionem, vitæ & sanitatis tempore factam, æque ac aliorum ea mutata corporis conditio Siti conjuncta comitari potest.

Actio vitalis sanguinem e cordis thalamis ejectum, ad omnes partes corporis humani per suas arterias advehit, ab his ad primum fontem, cor scil. per venas iterum revehit, sic quælibet pars corporis vitalitate superfunditur, & a corruptione præservatur, non enim conceditur sanguini ulla quies, sed perenni ac continuo cursu vasorum mæandros permanare debet. Exserendo vim suam vitalem per universum corpus, reliquas corporis actiones simul vige-re, suæque operationes læte absolvere facit; hinc naturales, organorum ac viscerum ope, materiam receptam præparant, mutant, humoribus humanis magis magisque assimilant, pro nutritione & quolibet vase nostri corporis aptum ac convenientem humorem conficiunt, inutile ab utili secernunt, omnes partes sic in suo vigore retinent, ut actiones quoque animales, quarum instrumenta imperio animæ subjecta, juxta singularem suam fabricam & structuram, ad nutum mentis exerceri

ceri ac peragi possint. Quod si jam sanguis per arterias non afflueret ad partes, & per venas iterum refluxeret, hæ vita destitutæ, ob absentiam motoris primarii, omni activitate, agilitate ac usu privarentur ac orbarentur, omne enim robur actuum posteriorum a prioris vigore dependet.

Hujus ergo actionis motu in C. H. vigente, sanguis vi actionum vitalium & naturalium elaboratus, pleno rivo per arterias sui ordinis ad quævis puncta partium nostri corporis pellitur, & ipsis vitam largitur; in suo vero itinere fluidissimum, hactenus toti massæ advectæ admixtum amittit ac deperdit, pulsu enim vasorum continuo repetito, vasis secundi generis liquidum subtile, tenue imprimit, ac, impressione reiterata noviter affluentis liquidi, quævis vascula, cuiuscunque generis liquore instaurante implet ac reficit, quo horum lubricitas, flexilitas, agilitas ac restauratio conservantur, exarescentia, immobilitas ac destructio præcaventur. Sic vita in corpore bene se habente, necessariæ mixtiones separationes, secretiones, restitutiones absumtorum, refocillationes, secessus, expulsiones ac excretiones perpetuo quidem contingunt, quæ vero simul causæ existunt, ut humor ille vitalis, pro sustentandis his actibus omnem materiem suppeditans, eandem temperiem retinere non possit, nam, uti dictum, quovis momento magna demulcentis ac liquidissimi seri pars a sanguine in arteriis contento secedit ac adimitur, quæ vel in nutrimentum partium cedit, vel foras ejicitur, vel per venas lymphaticas reducitur, ac cordi denuo redditus. Quare ad optimam temperiem conservandam & blandus chylus recens, & nova lympha diluens accedere debent. Quod si in C. H. actionis vitalis perplacida est exercitatio, ita ut nec naturalium, nec animalium ille actuum gradus, qui humida nimis cito dispergere ac removere, non tamen eodem temporis circulo deperditam materiem restituere potest, inducatur, partium sub hocce stadio, viribus vitae & sanitatis absumtarum defectus, Famis non Sitis sensu suborto manifestatur, citius enim ventriculus depletur & evacuatur, quam ea humorum aqueo-serosorum jactura contingat, quæ posterio-

ris ideam excitare potest. Ubi vero sanguinis circulus in suis vasis augetur, arteriarum pulsus vigoratur, caloris gradus increscit, sanitas quidem, si justos non transcendant limites, in corpore remanere potest, interim major fit partium serosarum ad vasa lateralia propulsio, harum projectio ac transportatio ad ambitum externum corporis, tanquam loca laxata & minus resistentia; hinc liquidorum tenuium depredatio ac secessus intenduntur, vascula humores humectantes, lubricantes, reficienes extrema partium C. H. vehentia, deplentur, rorida illa exhalatione destituuntur, horum latera, antea ab axi sui cavi distracta ac distenta, concidunt ac collabuntur, quae mutata rerum conditio, simulac partes p. 2. delineatas occupat, ille status C. H. appetet, qui inopiam liquidi humectantis indicat, & mentem de novo ingerendo humido cogitare necessitat.

Ad liquidi vitalis motus continuationem, reciproca aëris in-& exspiratio summe necessaria est, nec sine illa in C. H. subsistere potest; hac accelerata, motus sanguinis in corpore simul augetur, hinc omnia phœnomena paulo ante indicata, ex hac ut causa quadam occasionali, provenire & in conspectum prodire queunt. Sed præterea, ob fluidi aërei per cavam oris & fauicium celerem trajectum, liquidum hic loci exhalans, & superficiem partium tegens, in auram elevatur, aufertur, disjicitur, præprimis si aperto ore actus respiratorius instituatur; quo fit, ut humidis madefacientibus dissipatis, vascula rorifera exarescant ac exsiccentur, sicque cupiditas bibendi inferatur. Sæpiissime evenit, ut corpora optimè sana somno expergefacta, aridas se habere fauces persentiant, quæ suos natales non aliunde, nisi a causa exposita derivant; vix tamen opus liquidum adventitium his affundere, sed sufficit, vascula rore madefaciente plena ac repleta paululum comprimere, ut oscula ultima extrema quoque irrigentur, & liquido quodam obtegantur.

His perspectis, progressum facio illarum actionum naturallium vim considerandi, quæ Sitim ut effectum quendam parere ac producere possunt. Urgente fame, corpus nostrum disponi-

nimus ad quærendum ac ingerendum victum necessarium, quo invento, eum manibus arripimus ac cavo oris intrudimus, qui, si paulo solidioris ac tenacioris naturæ, ante deglutitionem divisionem, attenuationem, & humidi cujusdam miscelam exposcit, ut ejus pars tenuissima ac liquidissima, in canaliculis minimis inclusa, retenta & asservata resolutione, expressione, extractione elaborari, elici ac obtineri possit; cum hujus saltem portiuncula, a vasis lacteis & absorbentibus capi, per ea ad fontem generalem omnium humorum deferri, & in succum laudabilem, toti corpori utilem, converti queat. A dentibus hinc prehensus discinditur ac conteritur; palato osseo applicatus comminutionis plenioris exactiorem gradum obtinet, & ad læviorem ac planiorem superficiem redigitur. Hicce vero operationis actus, absque motu contractorio ac relaxatorio partium hæc organa moventium, in actum duci, perfici ac absolvit nequit, quem statim subsequitur uberior humorum provocatio, proventus & afflussus, ob factam eliquationem ac emulsionem, compressu partium cavum oris & faucium componentium. Bolus jam prioris conditionis ingestus, ob siccitatis indolem, quam præ se fert, liquida illa in ore voluntantia avide imbibit, interstitia suarum partium replet, & abundantiter inebriat, ut ad deliquationem & dissolutionem, in partibus intimis minutissimis jamjam inclinet; quo postmodum totum digestionis negotium, in primis viis alacrius, promptius ac perfectius peragitur, & ad finem perducitur: uti contra, maxima remora & grave impedimentum injicitur, si præparatio hæc ciborum negligatur, ad eam parum vel nihil attendatur, sed heluonum more, absque prævia manductione, boli integri deglutiantur; plurimis enim malis producendis, ob cruditatem, tenacitatem & denegatam humorum assimilationem, porta panditur, viaque sternitur. Ut veri-Arabum verbum fit: illum animam suam odiſſe, qui manductionis ætum negligit; & tritum illud Medicorum axioma: decem bolos bene masticatos minus nocere, quam unum non masticatum, vero verius esse reperiatur. Verum quo major fide-

C           lia,

lia, longiorque mora operi huic tam arduo, totique corpori maxime proficuo impenduntur; cibi ingestri rarioris texturæ, vel saponaceæ magis naturæ sunt, eo humorum ex osculis foraminulisque parvulis, hic loci se exonerantibus expulsi, major absuntio, profundiorque abstensio contingunt & inducuntur. Massula ciborum in oris officina hoc modo subacta promovet ex ea per glabram, politam, madidamque viam faicum, oesophagi, ad commune alimentorum receptaculum; quam transiens & præterlabens, pro facilitiori descensu, de humore partes has obsoniente & lubricante, copiam quandam secum rapit, & regionem hanc humidis suis depauperat. Hinc evenit, ut vascula exhalantia, & ductus excretorii partium nunc memoratarum, liquidis suis destituuntur, & pro maxima parte orbentur, ob deficientem appulsum humorum ad vasa minima, horum repletio ac distensio cessant, latera vasorum, spontanea fibrarum contractione, ad axin sui cavi inclinant ac vergunt, ultima ora ob penuriam partium roridarum madefacientium, superficiem quandam asperam, minus flexilem, & paululum inæqualem contrahunt ac adquirunt; hinc Natura ad assumendum & affundendum potum sollicitatur & incitatur, ut tota oris, faicum & Oesophagi superficies, allabente humido resiciatur, novo madore obtegatur, vasa collapsa eriguntur, & ad nova liquida depromenda, iterum adaptentur ac disponantur; quo adhibito legitimo tempore auxilio, Siti optime succurritur, nec ulla actio in corpore exinde vitiantur. Vix tamen unico ac primo potus haustu ita sedari potest, ut status modo descriptus, qui Sitis ideam in mente imprimit, suum recursum non repetat, cibi enim ingestis, & in ventriculum delapsi, notabilem liquidorum copiam, ad perfectum gradum dissolutionis, dilutionis ac fluiditatis obtinendum requirunt, ut commode per vasa corporis circulare, & facile nostris humoribus assimilari possint; hinc humida ex superiore tractu cum ventriculo connexo, ad delapsum & defensum invitantur, ad ventriculum rapiuntur, a contentis absorbentur, ac cum iis permiscentur. Præterea humo-

humores ventriculo proprii, ad ejus cavum advecti, & ibidem secreti, ab ingestorum mole simul auferuntur ac absterguntur, vascula liquida hæc eructantia eam perpetiuntur mutationem, quæ Sitis ideam progignere, & appetitum potus renovare potest, ut necessitate quadam premamur, liquidum quoddam humectans corpori porrigeret.

Solis liquidis vesci velle, ut Sitis sensus a corpore avertetur, vera, congrua ac optima via non est, qua Natura actionum suarum constantiam ac firmitatem recuperare ac conservare possit; nam corpora robusta, & sub laboris exercitatione, commotione corporis peragenda versantia, talia ingesta, robore viscerum nimis cito distribuunt ac dissipant, ut cogantur omni fere hora prandium de novo repetere ac reassumere. Horum vero continuato usu, corpora periculo exponuntur, & in metum incurront, ne corpori hydrorica superveniat constitutio. Quare Naturæ melius prospicitur, si proportio inter solidiora & liquida, id est, cibum & potum servetur, quam si ultima hæc solum adhibeantur. Cibis ergo assumendis etiam crassioris texturæ, cum homo commode carere non possit, hi quamdiu peregrinam quandam temperiem in corpus non invehunt, vel inducendo nimiam siccitatem, vel stimulum partibus infixum relinquendo, vel motum humorum valde exagitando, vel nimium calorem producenndo; sed placide & tranquille C. H. pervadunt, Sitis horum assumptionem sequens, quamque nemo effugere potest, merito naturalis titulo insignitur.

Alimenta in ventriculo bene resoluta, & adventu liquidi sufficientis, in optimam chymi formam transmutata, ad intestinorum canalem deventa, accessione bilis, succi pancreatici, liquidi ex patulis tubulis vasculorum arteriosorum depositi, seri intestinalium glandularum, magis resolvuntur, attenuantur, dividuntur, atque ad unionem cum massa sanguinea disponuntur. Sic chylosæ partes cum lymphaticis unitæ, accidente motu peristaltico, a parte irresolubili separatae, ad vasa chylifera & bibula urgentur ac propelluntur. Hujus quidem actionis vi, tanta liquidorum cavis his affu-

forum abstersio non fit, ut desiderium potus in nobis renascatur, attamen cum ob novam reparationem absumentrum, de universa massa humorum, pars quædam seri diluentis detrahatur, & ad tractum intestinalem demandetur, causa concurrens & adjuvans Sitis genesin procreandi fieri potest, si actiones subitaneam difflationem liquidi serosi accelerantes, simul corpori applicentur & adjungantur. Transfertur tandem chylus ad sanguinem, cujus motu circulari subigitur & ipsi assimilatur, sic pro refectione omnium humorum, materies quamvis aliter specificanda præsto est, secretiones humorum laudabilem contingunt, partium superfluarum pariter ac excrementiarum separationes, remotiones ac excretiones, per colatoria corporis numerosa celebrantur, ut vitalitas & sanitas in corpore conserventur. Ne illarum expurgationum humorum, in sensus incurrentium meminerim, sed Sanctorianam modo perspirationem, omnes has simul unitas longe superantem, in medium adducam, quæ unico die ad tres & semilibras adscendere, & spatio unius noctis, ultra XL. uncias evacuari solet. Quo apparet, naturalibus istis evacuationibus, liquida notabili quantitate quotidie e corpore eliminari, quoad molem imminui, & brevi C. H. liquidis necessariis privari posse. Nec quispiam hodie magis negare poterit, dari continuam, durante vita, per habitum evacuationem, cum non modo ex integumentorum corporis alteratione id colligere possit, sed manifeste quoque observare, manum corpori polito admotam, dem humore quodam imbuere, & animalia, hyemali præser-tim tempore, veluti fumare; ut Hippocrates suo jam tempore corpus nostrum perspirabile agnoverit. Quomodo, sub quo gradu suæ actionis, quibus de causis, actus hi secretorii & excretorii, potus concupiscentiam in C. H. colligere possint, p. 12. explicatum jam est, hinc dicta repetere velle inutile foret. Vi enim motus sanitatis, in naturali statu continuo perpetuati, non solum ipsæ subtilissimæ particulæ volatiles & vitales, omni momento dissipantur, avolant, paucioresque fiunt, sed etiam simul roridæ, ex omnibus partibus ex-

tra

tra poros corporis, in perenni transpiratione, in- & exspiratione abripiuntur, abducuntur & expelluntur; calor naturalis humido necessario, quo alias temperatur, spoliatus, voracior paulo evadit, & nisi in tempore auxiliis & remediis aptis ipsi obviam iretur, calori frenum injiceretur, & liquidis debitibus succurretur, sanguinis accensio, incoëtio, aquosorum major absuntio presso insequerentur pede.

Devolvor tandem ad examen ultimae classis functionum animalium, unde similiter Sitis idea peti ac hauriri potest. Musculturum voluntariorum actiones, eo gradu motus concitatæ & exagitatæ, ut vi sui exercitii eam humorum commotionem introducant, qua liquidorum aquosorum sequestrationes larga quadam profusione instituuntur, ac extra corporis peripheriam ejiciuntur, vasa vero rorifera requisita copia despoltantur, praeter alia phænomenorum producta, & Sitis apparitionem formare possunt. Sic labor totius corporis concussionem inferens, ad actum suum perficiendum, variorum musculturum motum requirit, hi agentes, alternatam faciunt villorum muscularium contractionem ac relaxationem, hinc sanguis ad partes in motu positas uberioris allicitur, iterumque expellitur. Affluens massa, ob reiteratum ac fortiorem motum systolicum ac diastolicum arteriarum, conquassatur, attenuatur, dissolvitur, atteritur; latex aquo-ferosus ex arteriis sanguiferis in serferas, ut harum ramos largiter impellitur, celeriter usque ad vasa perspirabilia projicitur, sic perspiratio notabiliter intenditur, magna liquidorum tenuium, subtilissimorum copia e corpore evehitur, imo ipsa sudoris eruptio provocatur, partiumque aquosarum diluentium, & instar vehiculi reliquis inservientium, per cutis spiracula sensibilis fit eductio. Accedit validior quidam attritus tam solidorum quam fluidorum ad se mutuo, utrumque in se invicem, unde corporis augetur incalescentia, qua liquidissimorum absuntio ac diffatio promoventur. Sustentato jam per tempus quoddam hocce labore in C. H. horum dispersio facile eum jacturæ gradum attingere potest, quo efficitur, ut reliquorum organorum vasa secernentia &

exhalantia, humidis serosis reficientibus destituantur, ac ob horum imminutionem, debita repletio, irrigatio ac madefactio cesserent. Hæc, si vascula evaporantia partium p. 2. delineatarum experiantur, evitari nequit, quin statum hunc potus desiderium non excipiat. Adjuvatur vero Sitis provocatio quam maxime, a validiori ac citatoriæ aëris reciprocatione, respiratione vocata, hic semper præsenti; aëre enim subito in trachæam ingresso, & per ejus bronchia ac pulmonum vesiculas diffuse disperso, incalescit ibidem & in clatere suo maxime augetur, eadem velocitate iterum ejecto, liquida cavitati oris circumaffusa attenuat, subtilisat, ea, repetitis ac renovatis aëtibus in- & exspiratoriis, una cum materie exspirabili a superficie partium elevat, aufert ac disjicit, ut vascula liquidis orbata in suis extremis exsucca & arida reddantur; sanguinem per pulmonalia vasa distributum, magna quadam vi premit, solvit, fluidiorem floridioremque ipsi conciliat faciem, expeditiori circuitui cuncta vasa corporis transfluendi accommodat, circulationi humorum, omnibusque hanc necessario comitantibus sequelis calcar admovet ac addit. Idem dictum esto de reliquis exercitiis ac commotionibus C. H. sic susceptis, continuatis ac prosecutis, ut sub his evaporationes ac secessus humorum subtilissimorum serosorum, eum terminum augmentationis adipiscantur, qui statum sanum non quidem turbat, sed tamen eo afficiendi modo mutat, quo humidum quoddam ingerendi expetitur ac desideratur, sive in ambulatione, sive cursu, equitatione, ventione, saltu, pilæ lusu, digladiatione, sive alia corporis motuum specie consistant. Hæc enim exercitationes ac convibrationes partium C. H. universam fere machinam laborare, & in omnibus musculis se comovere faciunt, corporis membra agitant, conquassant & tremulo quasi motu succutiunt, varias efficiunt muscularum inflexiones ac extensiones, quorum fibræ motrices premuntur, iterumque retrosiliunt, sanguis & humores hac ratione ad promptiorem motum ac circulum invitantur, intensius moventur, corpus plus calefieri incipit, hinc liquida e

cor-

corpore affatim excutiuntur, ad excernicula cutis deponuntur, sic vascula humidam exhalationem pro extinguenda Siti advehentia, debito ac necessario hujus humoris appulso & influxu privantur, priorque corporis mutatio inducitur.

Praeter universales has partium C. H. concussions, unde Sitis naturalis ortus erumpi, & ut harum operationum effectus patefieri potest, & particulares dantur singularium quorundam organorum ac muscularum exercitationes, quæ sua vi, actione ac perseverantia in corpore, liquida humectantia, madefacientia ac irrigantia superficiem partium loquela sanctorum, & regionum oris, linguæ ac faucium obducentia præ-primis absument, dispellunt, evehunt, ea e vasculis harum partium eliciunt, exprimunt & omni fere humido fraudant. Quotidie enim spectare licet, post longe protractas sermocinationes, vociferationes, cantationes, sæpius renovatas in- & exspirationes aëris, repetitas maxillæ inferioris ab- & adductio-nes &c. organa ad exercitia hæc persolvenda adhibita, non solum ineptitudinem quandam obtinere motum suum minus convenienter continuandi, verum ob difflationem etiam aquosorum sic exsiccati, ut illo desiderio, quo potus humectans, refrigerans, reficiens anxie appetitur, affiantur. Musculi enim os, linguam & fauces circumambientes alterne moti & laxati, ex vasculis cujuscunque generis interpositis, & glandulis folliculisque sic locatis, ut horum actioni obsequi debeant, liquida largiori copia expellunt, exprimunt, emulgent, educunt; quæ ob perpetuam horum organorum commotionem ac exagitationem atteruntur, subtilisantur, in auram elevantur, & e cavo oris efflantur. Cumque singulares hæ motuum species sine adaucta respiratione contingere nequeant, ob reciprocam & crebriorem pulmonum dilatationem ac compressionem, sanguinis impulsus in cor & transitus per pulmones citior fit, ac continuo isto alli- su & attritu calor adaugetur, motusque humorum in corpo- re, mirum quantum, promovetur. Sic post abstensa harum partium cava a roridis ac reficientibus effluviis, totum stratum superius antea lubricum, madidum, valde mobile ac flexible,

in asperum, siccum, tactui renitens, motui minus obediens mutatur, ob legum vero ordinem in oeconomia animali se invicem sic respicientes & excipientes, Sitis sensus suboritur, ac machina humana desiderio quodam potum ingerendi incenditur.

Sitis naturalis origini stimulos quoque admoveare possunt, dum liber quidam a Siti alterum intense sitientem, vel potum avide ingurgitantem attentis oculis aspicit, illius conditionem, statum & affectionem corporis in mente sua sic revolvit, ita ponderat ac pensitat, ut ob saepius revocatam Sitis ideam, similis in corpore suo enascatur, & ad bibendum alliciatur. Vel dum de accepto, suavi, naturae amico potuum quodam genere cogitatur, illud in memoriam revocatur, magna commoda & delectamenta ex hujus assumptione C. H. superventura sperantur ac exspectantur, quid mirum, si blanda haec irritamenta homines, si non semper ex necessitate, tamen ex voluptate ad pocula trahant.

Causae haec enodatae, expositae ac descriptae, Sitis naturalis fontes ac cunabula constituentes, si in sua actione increaserint, plurimae causae simul concurrant, ac in C. H. eodem tempore conjunctim existant, majorem ac fortiorum exserent sui exercitii effectum; subiectum sexus nobilioris, aetas adulterior, temperamentum cholericum vel sanguineum, Siti diu perferenda minus assuetum, anni tempestas calidior, locus, vel natura, vel arte excalefactus, corpus multis tegumentis tectum, externe calida applicata, hunc multum adjuvare, ac citius in scenam producere possunt.

Sitis, quacunque ex causa orta, nunc praesens, munere fidelis ac vigilantis custodis fungitur, & C. H. ad liquida desperita reparanda, & vascula quodammodo exsiccata, hinc ad promptissimum motus exercitium subeundem minus apta irriganda adhortatur. Ut justa & convenienti dosi, opportuno tempore, liquidis debitibus assumtis, tota Natura recreetur, humores motus effrænatos suscipiendo dueti placentur, cibi ingestis sine ulla molestia ac difficultate digerantur, in chymum probe mutentur, & humido sufficienti innatans e ventriculo elabatur, in chylum redacta portio yasa chy-

chyliſera promte ingrediatur, & a materia fœculenta ſeparetur, libere per omnia vasa nostri corporis distribuatur, ſecretiones omnium humorum expedite peragantur, omnesque uſus inde evenientes accerſeantur, repentina virium refectione inducatur, & aptitudo omnibus muneribus præeffe C. H. concilietur. E contra, pefiſtente per inſigne tem-  
poris ſpatium Sitis ſenu in C. H. plurima *νεοτητα και πα-θητα* ex hoc, tanquam ex Pandore pyxide prorepunt, quæ quidem a defectu ipſo liquidi requiſiti non generantur, cum rerum defiſientium nullæ ſint proprietates, & ex nihilo nil fieri poſſit; ſed ob hujus defectum, actiones in corpore remanentes omnium productorum effectuum cauſæ existunt. Absque ulla enim intermiſſione viſ vitæ ſuas actiones continuat, ſeparationes ac ſeceſſus partium ſerosarum perpetuo inſtituit, ad loca minus preſſa eas projicit, expreſſis, expulſis ac diſtillatis liquidis aquoſis diluentibus, ſanguis in densitatē majorem redigitur, omnesque humores nostri corporis incrassantur ac inſpiſſantur, adunatis pluribus in ſanguine moleculis, ejus globuli in plurimis punctis ſe invicem attin-  
gentes, vasa capillaria minima tranſire ac tranare nequeunt, hinc obſtructions ac inflammationes pariunt; ob niſum ac reniſum humorum in vasa, vazorum in humores fortiorem, minima utrorumque atteruntur, ſolvuntur, ſales & olea priu implicita evolvuntur, libere exponuntur, & in gradum exal-  
tationis evehuntur; tandem ex recenſitis effectibus, omnes morbi ac ſymptomata ab hiſ, ut cauſis dependentia produci, & in conſpectum venire poſſunt. Sub Sitis præſentia, & denegata debita potus portione, perit ciborum appetitus, manducaſionis & degluſtionis actus ceſſat, digestio in ventriculo retardatur, maſſa deglutita facile amarescit, ſa-  
porem peregrinum, amareſcentem, ſalſuginoſum, niđoro-  
ſum procreat, elaborationem chyli laudibilis reſpuit, hinc refectione, nutritio & reſtitutio deperditorum impediuntur quam maxime, ſecretiones humorum per colatoria nostri corporis, & depositiones liquidorum ad cava lubricanda deſtinotorum, tarde nec Naturæ convenienti modo peragun-

D tur.

tur. Liberum quoque actionum animalium exercitium, enato ac remorato desiderio C. H. liquidis reficiendi tollitur, & harum expeditiones, vel motu muscularum absolvendae, vel mentis actione perficiendae, exquisita agilitate geri nequeunt. Hinc Platoni Tantalus, quod mento summitatem aquae attingens Siti tamen enecetur & a labris sitiens fugientia capter flumina, jure quodam ~~Tælærtatæ~~, hoc est, Misserrimus dictus est.

Ex notis causis Sitim movere potentibus, C. H. jam applicatis praesagire licet, appetitum liquidorum superuenturum esse. Cujus praesentiam relatus affecti manifestat. Et cognitis iis, quae Sitim excitarunt, hujus indoles simul cognoscitur. Ex longiori vero vel breviori mora, qua Sitis in C. H. perstitit, varietate causarum, vi & modo agendi, eventus haud difficulter praevideatur.

Cum ex tempestiva potus assumptione magnum emolumen-tum C. H. accedat, & haud sfernenda utilitas exinde resal-tet, Sitis sui ablationem indicat, per id, quod ipsius contrarium, sive phrasa Hippocratica remedium est. Ab omnibus sub hocce statu versantibus, naturali instinctu liquidum quoddam humectans desideratur ac expetitur, nec melius indicatum invenitur, quod indicanti posset opponi; eas modo possideat facultates, ut effectui salutari nunc modo exposito in C. H. praestando non repugnet, sed ex cuius vero usu ille emergat ac affulgeat. Hoc quo simplicius eo melius, ceterisque palmam præripit, ac huic scopo optime inservit, & commode in usum trahitur. Omnes has desideratas ac requi-sitas conditiones, simplex ille potus aquæ sibi attribuit ac ven-dicavit, quo etiam omni Siti debitum levamen adferri, & tanquam optimo correctorio succurri potest. Vid. Cl. BOER-HAAVII, Praeceptoris mei omni pietatis cultu prosequendi Institut. Med. §. 1041. Veteres, qui per multas seculorum ætates solam aquam biberunt, & de multifariis istis gulæ ir-ritamentis nondum edocti fuerunt, longæviorem, saniorem ac validiorem nostrâ, quâ potibus fermentantibus & fermentatis

ma-

magis indulgemus, vitam duxerunt; & licet post diluvium vi-  
num a Noacho inventum esset, tamen ex sacris & profanis scri-  
ptoribus constat, in communi victu & vita aquam loco potus  
in usu quotidiano fuisse. Simplex enim aqua bonitatis char-  
acteribus inscripta, odore, sapore & colore destituta, levissi-  
ma, cursu per flumina pura exercitata, intra corpus assum-  
ta, alimentorum dissolutionem, chyli laudabilis extractio-  
nem, ejusque cum sanguineis particulis mixtionem comple-  
te absolvit, omnibus nostri corporis humoribus vehiculum  
haud ineptum porrigit ac subministrat; nec aqua simplici  
aptius quid in tota rerum natura reperitur, quod solidas &  
duras partes humectare, & in continuo madore conservare  
possit. Cumque nullis heterogeneis particulis sit inquinata,  
circulans per vasa nulla ibidem deponit inquinamenta, natu-  
ralem humorum temperiem nec mutat, nec turbat, sed  
potius motum facile excedentem moderatur ac temperat, præ-  
primis si frigide potatur. Nam aqua excaldata, partibus ir-  
rorandis affusa, celeri suarum particularum motu eas subi-  
to iterum derelinquit, ut debitum Siti solamen adferri, prom-  
tissimaque refocillatio fieri nequeat. Hinc Siti placandæ ex  
amus non correspondet, utpote quae & sufficientem par-  
tium madefactionem, earumque ob calorem paululum au-  
tum aliqualem refrigerationem exposcit. Largiori vero  
copia, & longa usurpatione adhibita, dissolvit, laxat, &  
nimis debiles reddit fibras nostri corporis, tonum vasorum  
ac viscerum labefactat, ut ob deficiens robur, in omnibus  
functionibus peragendis tarditas quædam & interpellatio ob-  
servetur. Priori tamen usui corporis contumacio adjungi &  
associari debet, ut aqua tardioris transitus in motu promo-  
veatur, a stagnatione ac redundancye circa hypochondria  
præcaveatur, & ad cuncta corporis nostri organa ducatur.  
Sic salutarem in C. H. præstat effectum, humores fluxiles ser-  
vat, excretiones promovet, vias patulas reddit, quæ condi-  
tio corporis basis sanitatis est; hæc enim conquiescit in hu-  
morum fluxilitate, debito illorum circulo, emunctoriis a-  
pertis, excretionibus legitimis.

Homines sub hac diæta viventes robustam corporis strukturam acquirunt, conf. Cl. BOERHAAVE in *Libro supra citato p. 428.* & non tam obesi, quam potius quadrati evadunt; nec ex legitimo aquæ simplicis frigidæ usu, ullum incommodum C. H. supervenit, nisi quod aquæ potatores paulo edaciores sint illis, qui potibus magis alimentosis delectantur, quod & quotidiana experientia comprobat, & Galenus jam suo tempore notavit. Natura enim tanto pleniorum cibum appetit, quanto tenuior est potus, uti contrarium evenit in statu opposito. Antequam vero laudatus potus in victum cedit, qualitates ejus probe exploratas habeamus, & an purus & sincerus, vel arte emendandus, vel plane interdicendus sit sciamus, semper enim de solo, quod transfluit, multum participare videtur; & cum aquæ dentur, quæ assumtæ instar vini temulentiam faciunt, qualem speciem Ovidius Lib. xv. *Metamorph.* describit, & de ea sic canit:

---

*Lyncestius amnis,  
Quem quicunque parum moderato gutture traxit,  
Haud aliter turbat, quam si mera vina bibisset.*

Quid utilius erit, quam ante assumptionem hujus indolem intellectam ac investigatam habere, quo sanitati tuendæ optime prospicitur & consulitur. Divus noster Senex illud ipsum a quolibet Medico requirit, ut, ubicunque locorum degat, ibidem aquarum facultates noscat, & in earum naturam inquirat, sic scribens Lib. de. Aëre, Aquis & Locis: *Quicunque artem medicam integre asequi velit, circa aquarum facultates cognoscendas negligentem se non exhibeat, quemadmodum enim gustu differunt, & pondere ac statione, sic quoque virtute aliæ alii longe præstant, has, si quis ad urbem sibi incognitam perveniat, diligenter oportet perscrutari.* Naturalis ergo hæc simplex & vetusta potus species sola sufficit, qua Sitienti auxiliari, Sitis suborta emendari, & tota oeconomia humana in suo vigore firmari potest, ut summo jure Cl. WALDSCHMEDIUS in suis *Instit. Med. rational.* aquæ simplici inter omnia potulenta primum concederit locum. Quippe si Majores nostri

nostri simplicem hunc vivendi modum retinuissent, nec ab eo tam enormiter deviassent, & plane diversum a priori liquidum pro potu ordinario elegissent, innumeris forsan morbis & calamitatibus corpora nostra carerent, & vivaciori, alacriori ac robustiori constitutione praedita essent.

Reliqua tamen potum genera, longo temporis usu & consuetudine jam recepta, plane rejicere, ac assuetis his in totum prohibere velle, nimis rigorosa, Naturæ vero minus conducibilis ordinatio ac præscriptio esset. Cum Natura consueta et si deteriora melius ferat, quam insueta et si meliora; & juxta Poëtam:

*Usus longus mos est & meditatio crebra,  
Hunc tandem affero, Naturam mortalibus esse,  
ac a teneris assuescere multum sit, affirmante Hippocrate, Libro de vita Acut. verbis sequentibus: Multa vero his cognata,  
ex his qui ventri contingunt, itemque alia quis referre possit,  
quod facile quidem ferunt cibos, quibus adsueta sunt, etiam si natura non sint boni; similiter etiam potus. Ægre autem ferunt cibos, quibus adsueta non sunt, etiam si non sint mali; similiter etiam non potus. Nec omnes eadem bibere posse idem testatur Libro III. de morbis C. xxix. Hinc & tempori, & regioni, & ætati, & consuetudini, & singulari hominis temperiei semper aliquid condonandum & concedendum est; saltem ne quid nimis fiat.*

Omnis ab hominum ingenii excogitatas potulentorum species recensere velle, opus immensum quidem, parum vero utilitatis esset. Frequentissimæ & usitatissimæ Sitis fallendæ gratia adhibitæ, sunt liquida a certis animalibus petita nec fermentata, lac scil. ejus serum, lac ebutyratum &c. quæ quam proxime ad naturam aquæ accedunt, nam ablatis partibus chylosis & oleosis, mera aquositas restat, & rite usurpata Sitis optima erunt correctoria. Post hæc liquores vel sola fermentatione, vel coctione & fermentatione simul parati; ad priores pertinent vina, ad posteriores cerevisæ. Sed quanta non iterum in his, tam quoad modum preparandi, quam materiem ingrediendi, datur acprehenditur va-

rietas; quidam enim tenues, aquosi, diluti existunt, alii oleofam, pinguem, generofam, ac in spirituascentiam elevatam partium texturam induerunt. Ut in ordinandis his magna sit adhibenda præcautio ac cautela, ne intempestivo usu corpori noceant, naturalemque ejus statum in præternaturalem vertant. Mutua observata proportio & æqualitas, inter subjectum recipiens, & objectum recipiendum, determinabunt, quinam sint feligendi, qua copia assumendi, & quomodo propinandi.

Qui otio vel vitæ sedentariæ sunt dediti, aut corpus debilioris habent constitutionis, optime sibi suadent, si quandoque, loco potus ordinarii, liquidum quoddam spiritibus ditatum, ad languidos humorum motus resuscitandos, moderata dosi assumant, quo sopita quasi Natura vigorata denuo redditur, & in officio suo stabilitur ac confirmatur. Infantæ quorum corpora tenera, mollia & humida adhuc sunt, facilem admittunt fibrarum suarum distensionem, elongationem ac excrescentiam, hinc, ut ad justam ~~anum~~ sui incrementi perveniant, sub eo moderamine conservanda: ea vero, quæ ante statutum tempus fibras nimis rigescere, obdurescere ac ulteriori dilatationi resistere faciunt, quovis modo fugienda. Quare potulenta, quæ suo calore ac spirituascentia humida absumunt, dissipant, fibras stimulant & exsiccant, hac in ætate vix locum obtinebunt; blanda vero simul nutrientia, debito tamen humido constantia, summum usum præstabunt. Hoc forsitan intuitu factum, ut *Plato, Libro II. de Legib. infantibus & pueris omnem vini usum interdixerit*, sic scribens: *Itaque lege sancimus, ut puer usque ad annum duodevigesimum vini usum prorsus ignoret.* Et *Hippocrates Sect. I. Aphor. 16.* pueris diætam humidam maxime suadet. Per priora enim ætas senilis præmature advocatur; per posteriora remoratur. Quo magis ætate crescunt, eo magis robur in corpore incrementum, sensim assuecant cibis solidioribus ingerendis, hinc requiritur potus priori dilutior, qui tamen parum vel nihil stimulat, ne restans corporis augmentatio impediatur, sed perfecte absolvatur, & vasorum numerus ætati huic conueniens

niens conservetur. Corpora ad  $\alpha\kappa\nu\pi\tau\tau$  perventa virium augmentum adquirunt, actus & reactus partium intenduntur, motus humorum citius peragitur, omnes actiones validiori ac fortiori exercitio perficiuntur, & effectus inde progeniti majores atque auctiores esse observantur. Hinc ad æqualem in C. H. temperiem conservandam ac retinendam convenient, & Naturæ egregie prosunt, potus valde diluti existentes, qui magis frenum, quam calcar corpori addunt. Et nisi ex perverso quodam judicio, vel mala quadam consuetudine aquæ usus rejiciatur, hæc assumta mirificum adferet solamen. Incremente Senio, fibræ magis arere, durescere ac coalescere incipiunt, vasa rore madido irrigante exuuntur, exsucca redduntur; ob auctam in corpore ad vasā resistentiam majorem, motus & influxus humorum minuantur, sic totum corpus sensim emarcescit, agilitatem remittit, calor fit debilior, vires ac robur attenuantur, decrescent. Quare convenientissimus Senum potus erit, qui segnes motus corporis reviviscit, vappescentes humores novis spiritibus ditat, ut agiliores, & ad motum suscipiendum promptiores fiat; unde Plato loco supra citato ait: *Deum vinum hominibus quasi auxiliare adversus senectutis austoritatem pharmatum largitum esse, ut rejuvenescere videantur;* & vere dicitur, vinum lac Senum constituer. Quod differentem Temperamentorum constitutionem attinet, Calidis, Siccis, Biliosis, Sanguineis, Melancholicis magis prosunt liquida aquosa, humectantia, refrigerantia, quam potus pingues, fermentati, exaltati, in motum & calorem majorem vasa & humores stimulantes ac redigentes; qui tamen Frigidis, Humidis, Phlegmaticis suo tempore convenient, & simul remedii loco inserviunt. Sub Climate calidiori potus simplices, tenues, diluti saluberrimi sunt; sub frigidiori, nutrientes & calorem corporis conservantes tutius concedi ac adhiberi possunt. Tempora anni quo calidiora & sicciora, eo magis aquosa commendanda; quo frigidiora & humidiora, liquida spiritibus turgida melius fertuntur, nec opportune propinata a Natura respun-tur.

Actus

Actus vero applicationis ac assumptionis potus electi, ea legum observantia dirigatur, ut nec impetuose, nec nimis confertim fauibus sufficientis, ac liquidum appetentis infundatur ac ingerratur, ne vel mole sua ac pondere ventriculum aggravet, praeter modum distendat, ac in functionis suae exercitio turbet; vel subitanea quadam inducta ac excitata mutatione, alterationeque partium C. H. certa qualitate praeditarum, in aliam ab hac plane discrepantem, innumeris oboriundis morbis ansa detur, morsque inopina adducatur; sed potius paulatim ac saepius bibatur, & eo ordine a Natura efflagitata copia corpori porrigatur. Quae major minorve jam erit, pro diversa constitutione conditionum causarum p. 20. indicatarum. Si enim status ibidem descriptus occurrat, largiori potus dosi opus est; si contrarius eveniat, minor sufficere potest; vel liquidi, pro abigenda, supprimenda ac restinguenda Siti assumti, prout magis ad naturam aquae simplicis frigidæ accedit, vel ab ea recedit; prioris ordinis effectum expeditorem, posteriori praestabit ac exseret.

Qui celerem ac repentinam Sitis obreptionem a corpore depellere contendit, ut actionum quarumcunque semel susceptarum exercitium, sine ejus subitaneo superventu, longiore temporis cursu continuare, & diutius protendere possit, liquida naturalia, ad oris & faucium cava humectanda advecta, sedulo conservet, nec intempestiva expunctione projiciat, sed utilissimos hos C. H. humores deglutiatis, ut, nova facta circulatione, loca hæc iterum alluere ac reficere queant. Sic enim ductu Naturæ vehimur, & exemplis aliorum animalium docemur. Nam bruta, licet demissò incedant capite, humorem ad os & fauces allatum nunquam rejiciunt, sed potius deglutiunt. Et infantes eum non excréant, verum nobile hoc liquidum intra corpus suum retinent. Praeterea partium C. H. commotiones, actu suo notabile dispendium liquidorum madefacientium invehentes, eo sub corporis habitu Sitim suscipiendo jam proximo, nunquam instituantur; sed assumtis eduliis, jusculis, vel decoctis molibus, tenuibus, humidis, aquosis, facile meabilibus sic præpare-

paretur, ut humida irrigantia, reficientia præsto ac præsentia sint, quæ desiderium potus commode a corpore arcere poslunt. Si sub ipso harum exercitationum actu, ea ori indantur & manducentur, quæ & blande humorem salivalem alliciunt, & citam dissipationem impediunt, qualia v. gr. sunt: arborum folia viridescentia, rotulæ leniter apophlegmatizantes & simul refrigerantes, v. gr. ex succo berberum confectæ; vel in ore teneatur ac circumvolvatur globulus quidam plumbeus, aut frustulum crystalli montanæ, Sitis maximam sui retardationem capere potest. *Os tandem claudere, tacere, auram frigidam introducere*, ut Hippocraticum consilium *Lib. VI. Sect. III. Popular.* traditum accommodatum, multum ad non fitire faciunt.

## T A N T U M.



# CHRISTIANUS CRAMERUS, J.C.

Fratri suo Carissimo

## GUILIELMO CRAMERO,

Medicinæ Doctorando

S. P. D.

Cum Litteræ Tuæ, Frater Carissime, nuper gratum mihi adferrent nuntium, Te Doctoris Medicinæ honoribus mox, mox augendum esse, inter varias de Te cogitationes, mente mea, singulares fortunæ Tuæ vicissitudines admirante, ad primam usque Tuam longius respiciebam infantiam. Recordabar namque diei natalis Tui, qui, discrepante fortuna, Tibi initium, Genetrici vero Tuæ, inevitabili necessitatis lege, finem vivendi adulit: recordabar insuper defuncti Parentis nostri, ex cuius funere inopinato, & vulnus grave, & aliquandiu confusum studiorum Tuorum impedimentum adolescens adhuc tunc temporis retulisti: recordabar etiam tumulo jam obruti Fratris natu majoris nostri, quondam Ecclesiæ Schiffenburgen sis curam gerentis, quem Tibi inter exterios tunc jam degenti, studiorum subsidia procuraturum, policebaris,

baris, & ita recordabar illius, ut simul me solarer,  
extincto illo, Te adhuc gloriæ paternæ superstitem es-  
se. Animum meum in his, multisque aliis expen-  
dendis defixum, mira providentia Divinæ occupabat  
veneratio: intelligebam quippe ex firmissimo illo, quod  
Tuum mihi statuebat exemplum, documento, fata  
nostra non cœca & improvida ferri, sed Deum circum-  
spectum sapientemque moderatorem, cunctis rebus, o-  
mniisque fortunæ nostræ adesse. Uti jam Deum semper  
rerum Tuarum diligentem rectorem, Frater Carissime,  
expertus es, ita precor, ut, favente Deo Optimo,  
ulterius quæ suscipis, quæque suscipes, prospere op-  
tateque Tibi eveniant. Dabantur Regiomonti Bo-  
russorum, Idibus Septembris, A. O. R. CICCCXXIII.

